

~~PA 121~~

EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

IV A 121.

SIGNAT. MDCCCXIII.

121

B



3  
A P O L O G I A  
P R O  
T R A C T A T U  
D E S Y L L O G I S M O  
I N F I N I T O.

*Auctore*  
M. JOH. CONRADO DANN-  
HAVVERO, P.L. & Prof. Publ.



ARGENTORATI,  
Typis WILHELMI CHRISTIANI GLASERI,  
Academiae Typographi  

---

M. DC. XXXII.



L  
a  
i  
c  
S  
v  
q  
L  
st  
cu  
fe  
qu





P R Æ F A T I O  
AD LECTOREM.



*um præfationum  
duplex potissimum finis  
sit, Cordate Lector, unus,  
ut quasi oculifera suspen-  
dantur ante libri fores,  
ad ingentem, ut Gellius  
loquitur, captandam il-*

*lecebram: alter, ut Janitorum instar cave-  
ant à fascini & mali ominis ac judiciorum  
invidiâ: posteriorem maximè amplecti pla-  
cuit: quod alter Typographi potius sit quàm  
Scriptoris. Occurrit autem in vestibulo No-  
vitatis accusatio, cujus suspicionem ingenia,  
quò sunt modestiora, hoc fugiunt diligentius.  
Quid enim hoc homine facies, cui res vetu-  
state robustas disputando evertere, corni-  
cum configere oculos, de musto adhuc & lacu  
fervidam opinionem, novo, ut de Zenone lo-  
quitur Varro, suspendere paxillo, aliqua vi-  
A 2 detur*

PRÆFAT. AD LECTOREM.

detur immortalitas, & proximus ad rei literariae Dictaturam gradus.

Quia tamen novitatis accusatio falsa est, que incidit in sententiam veram; vera, que in falsam incurrit: quia quod verum est antiquissimum est, tametsi tale à novis hominibus non habeatur: quod falsum novissimum, longâ licet temporum se præscriptione tueatur, & auctorum se pingat serie: Ideò mihi novitatis accusatio magnoperè pertimescenda non est, nisi & ringente quantumvis experientia, torridam Zonam asserere velimus ustulare omnia: Antipodes esse nullos: optimè vixisse eos, quibus

Sylva domus fuerat, cibus herba, cubilia frondes. Ovid. lib. 2. de arte.

Quisquis igitur es, Amice Lector, prius ostende errorem, deinde condemna sententia novitatem, nec, quod sinisterrimum, ab executione iudicium incipe.

CON-



## CONTROVERSIA I.

### *An Ens transcendentalè infinitum reddi possit?*

§. I. **P**RIMUM hoc caput est, de quo inter nos non convenit; ejus negativa à me proposita est in tract. de syll. inf. §. I. affirmativa verò à te diss. I. de term. infin. th. 27. & seqq. Meum pro negativâ argumentum est.

*Nullus terminus non prædicabilis tam de ente, quàm de non ente, est infinitus.*

*Tò non ens non est terminus prædicabilis tam de ente, quàm de non ente. Ergò*

*Tò non ens, non est terminus infinitus.*

*Major firmatur auctoritate Aristotelis, à quò vel vestigium recedere, hoc sit novatorem agere. Sic ille l. I. τει ερη. c. 3. quandoquidem infinita, scribit, tam in eo quod est, quàm in eo quod non est æquè dicuntur. Dices 1. Aristotelem locutum esse non de transcendentibus, sed de nominibus infinitis particularibus. 2. ex regulâ summularum patere, quòd illa non velit terminum infinitum dici debere de omnibus in univèrsum: satis esse si prædicetur, de iis, de quibus finitus*

A 3 non

2 APOLOGIA PRO TRACTATU

non dicitur. *Resp. ad 1.* Aristotelem scripsisse organum commune non particularibus solum scientiis, sed transcendentali etiam Metaphysicæ profuturum; confictas has esse angustias ac dumeta in quæ antiquarii, ut sibi videntur, illi Aristotelem detrudunt: denique per causalem  $\delta\tau\iota$  denotasse hanc regulam planè universalem esse debere. Hæc enim ejus est ratiocinatio, *Non valet & non laborat* sunt verba infinita, quia tam de eo quod est, quàm de eo quod non est æquè dicuntur. Finge de particularibus solum entibus hoc verum esse, & majorem in syllogismo Aristotelico constitues particularem, & regulam conficies lesbiam. *Resp. ad 2.* Regulam summulisticam veram esse  $\kappa\alpha\lambda\acute{\alpha}\ \pi\alpha\upsilon\lambda\acute{o}\varsigma$ , sed non  $\kappa\alpha\theta'\ \acute{\omicron}\lambda\omicron\upsilon$ : nec adductam à me fuisse tanquam perfectam termini infiniti definitionem, sed tanquam explicationem postremæ, in termini infiniti definitione, conditionis. Si enim ad terminum infinitum sufficit prædicari posse de omni eo de quò non dicitur terminus finitus; jam  $\tau\acute{o}$  nonnihil etiam erit terminus infinitus: quia sicut non-ens de omnibus non-entibus, de solis autem entibus dici nequit: ita non nihil de omnibus entibus, de solis autem non-entibus prædicari non potest. Atqui  $\tau\acute{o}$  nonnihil terminum infinitum esse ipse negas *disp. 1. thes. 8.*

*Minor* certa est, quia non est fas dicere equus est non ens, sicut dicere licet equus est non homo.

CON-



DE SYLLOGISMO INFINITO. 3  
CONTROVERSIA II.

*An verbum possit intra propositionem  
reddi infinitum?*

§. 2. Non hîc quæritur, an de facto per intentionem ac præcisionem mentis verbum reddi infinitum possit, trajiciendo scilicet negationem ad verbi significationem non copulationem; hoc enim juxta tecum affirmo. Sed an jure quopiam logico, & salvo logicæ fine id possit fieri? *Respondeo* nec posse, nec debere, nec ut loquitur *Mendoza* disp. summ. 3. l. 2. §. 12. *voluisse homines*. Nam cujus est 1. perpetuum aliquod & infallibile propositionum discrimen assignare, 2. contradicendi potestatem non adimere, 3. æquivocationes cavere: ejus non est differentiam propositionum ab intentione loquentis suspendere. Atqui logici hæc omnia sunt. Ergò ab intentione proferentis discrimen propositionum suspendere non debet.

*Major* probatur, quia si à præcisione mentis enunciationum discrimen petieris. I. *Perpetuum quopiam discrimen inter negantes & infinitas propositiones nullum habebis*: variatâ enim intentione variabitur etiam propositionis forma: syllogismum ex puris negantibus vitiosum nullum ex eâ causâ licebit damnare. Nam in hoc sequenti

*Omnis canis non est planta.*

A 4

*Omnis*

4 APOLOGIA PRO TRACTATU

*Omnis rosa non est canis Ergò*

*Omnis rosa non est planta.*

Sophista, accusatus negabit ex puris negativis se conclusisse cogitatione se *non* copulæ postposuisse, atque (salvis tuis hypothésibus) ex meris affirmantibus, sed infinitis conclusisse. II. *Contradicendi potestatem opponenti, cum thesis est negativa, eripies.* Scripserit olim aliquis Adamum non posse peccare: quomodo contradices, quomodo verum à falso divides? an ita, Adam potest peccare? At qui incerta est proferentis jam olim defuncti intentio: Potest enim fieri ut *ἐπινοία* trajecerit negationem post verbum *posse*, tum tu ei non solum nullus contradixeris, sed etiam injuriam feceris, & falsitatis propositionem verissimam damnaveris. III. *Aquivocationibus sophisticis aperies fenestram.* E millibus unam illam *Francisci Assisi* notissimam æquivocationem adduco: Is lictoribus interrogantibus, an illac, ubi Franciscus erat, homicida transisset? immixtis manibus intra manticas, respondit *hac non transisse*. Delictum hoc inexcusabile facile excusabitur. Potuit enim fieri, ut intentione mentis Franciscus negationem postposuerit verbo atque verissimum hunc habuerit conceptum; homicida transiit, non hac, id est, per manicam. Si enim, quia copulatio, significatio & ad significatio in verbo formaliter differunt, præcisio mentis negationem transponere po-

re po-

DE SYLLOGISMO INFINITO. 5

re potest; multò magis id poterit in terminis realiter differentibus, utpote in posse & peccare, in transisse & hâc.

§. 3. Stant igitur adhuc argumenta mea verbum infinitari non posse, quia 1. evertit discrimen inter propositionem infinitam & negantem, in quò tamen assignando nemo Te est operosior, quia 2. copula verbo sit ante posita. *Dices 1. disp. 1. th. 27. Intentionem proferentis adhuc facere discrimen inter negantem & infinitam 2. th. 40. non omnem negationis ante copulam præcedentiam facere propositionem negatam, cum etiam in infinitis de subiecto, negatio copulam antecedit. Resp. ad 1. Discrimen illud non esse formale, quia non perpetuum, sed mutabile; nec esse logicum quia æquivocationibus non obstruit, sed ansam præbet. Ad 2. nec me scripsisse omnem negationem copulæ præpositam facere propositionem negantem,*

*Non obtusa adeò gestamus pectora pœni!*  
sed intellexisse de immediatâ negationis ante copulam præpositione, quæ si negativam propositionem non conficit, illa quoque tua affirmans infinita, negativa erit, Judæus est non audiens verbi divini. Si enim intentio proferentis trajicere negationem post copulam potest, poterit eadem fingere ante copulam.

A 5 CON-

6 APOLOGIA PRO TRACTATU  
CONTROVERSIA III.

*An verbum extra propositionem pos-  
sit infinitum reddi?*

§. 4. Quod verbum nec extra propositionem à præfixâ negatione possit reddi infinitum, inde liquet, quia, tametsi actu copulam non neget, negat tamen relationis illius (copulæ) fundamentum, quô sublato tam copula tollitur, quàm sperata paternitas defuncto cœlibe. Fallor? aut eâdem in sententiâ Aristoteles est, qui terminos hos (extra propositionem positos) esse non æquale, & non esse æquale, esse non album lignû, & non esse album lignum, plurimum discrepare asserit l. i. prior. anal. c. ult. Non autem illi discreparent, si extra propositionem esse æquale præfixâ negatione infinitari posset. Perstat igitur adhuc ratio Conimbricæ, ex quâ nos hoc modo concludimus

*Omnis terminus infinitus extra propositionem,  
infinitus quoque est in propositione.*

*Atqui in syllogismo ex minore vitioso, p. 4. tra-  
ctatus adducto, verbum (ridet) non est infi-  
nitum. Ergò*

*Tò non ridet extra propositionem ac syllogismum  
etiam non fuit infinitum.*

*Dices negare te majorem disp. i. th. 38. quia ne-  
gatio extra propositionem verbo adjecta nihil tollit  
nisi significationem, copulandi officium, quod actu  
non*

DE SYLLOGISMO INFINITO. 7

*non exercet, nec tollit nec tollere potest.* Datur igitur aliquis terminus infinitus extra propositionem, qui in propositione negat. *Resp.* esse petitionem principii; nam hoc quaeritur annon etiam copulam tollat? sublato fundamento relationis, non solum illa quæ actu adest relatio evertitur, sed etiam quæ adesse potest.

CONTROVERSIA IV.

*An hæc piscis est non respirans, sit formaliter negativa?*

§. 5. Negativa à te totâ disputatione secundâ defenditur, affirmativa à me tract. sæpe cit. §. 4. p. 8. Ante omnia autem distinctionis radio dissipanda æquivocatio est, inter formam externam accidentalem & internam essentialem. Quin accidentali formâ, quæ est ipse situs ac dispositio negationis circa copulam differant, quis est qui tibi unquam negavit? Non sanè nulla differentia est inter has, Socrates est non justus & Socrates non est justus. Illa formaliter (formalitate accidentali) non est negativa, id quod τῶν ἀμφοῶν largior. De essentiali autem negativæ propositionis differentiâ inter nos disceptatur. Hanc ajo non à situ negationis & nexu grammaticali, sed à sensu prædicati divisivo petendam esse: Remque omninò sic se habere sicut in artefactis, (quibus propositionem comparat

## 8 APOLOGIA PRO TRACTATU

parat *Conimbrica* ad l. i. de interp. c. 4. q. 3. art. 1. aliàs hoc in argumento mihi infensa.) *Numus*, e. g. à numo alio, thalerus imperialis à belgico. bifariam differre potest 1. *differentiâ accidentali*, effigie scilicet, insignibus, inscriptionibus. 2. *Differentiâ essentiali*, si ille argenteus esset hic plumbeus: quæ differentiâ à materiâ vel potius à materiæ formâ essentiali depromta essentialis est: absque hoc enim fuerit nuperrima monetæ confusio injusta non fuisset, & qui tùm temporis creditori reddidit *χάλκεα χρυσείων*, hoc est numum plumbeum pro argenteo, formâ tamen externâ inter se convenientes, is justitiam non adulterasset; Ita geminâ ratione, formâ externâ inter se discrepant propositiones infinitæ (negationem copulæ postponentes) à propositionibus negativis finitis (eam anteponentibus) Essentialiter tamen non differunt, quia ratione prædicati (quod est forma subjecti) non differunt, utrobique enim prædicatum sensum habet divisivum. Appellari late hæc differentiâ materialis potest, quatenus Aristoteli omnis pars (tàm forma quàm materia) totius materia est, ut colligere est ex l. 3. *Phys* c. 7. t. 66. & l. 8. *Metaph.* c. 2. t. 3. propriè tamen differentiâ est formalis petita scilicet à formâ propositionis prædicato. In caducum igitur parietem inclinat Achilles ille tuus disputationis secundæ, theses octavæ,

Que

DE SYLLOGISMO INFINITO. 9

*Quæ negatio vera est pars prædicati, illa non constituit propositionem formaliter negantem.*

*In hæc propositione (piscis est non respirans,) negatio vera pars est prædicati. Ergo*

*In eadem propositione non est negatio formalis.*

*Præteritâ minore, ad majorem Respondeo 1. per instantiam duplicem. Hæ propositiones*

*Chimæra est non ens.*

*Equus est non nihil.*

*Semen est non triticum.*

*aut formaliter infinitæ sunt agentes aut formaliter negativæ. Tertium non datur nisi forte (tua hæc verba sunt disp. 3. th. 3.) ibi medium querere velis, ubi inveniri nullum potest inter affirmationem & negationem. Atqui non sunt formaliter infinitæ, quia nullo termino cōstant infinito: Nam in primâ, τὸ non ens terminum infinitum non esse ex Aristotele confecimus contro. 1. In alterâ τὸ non nihil, terminum infinitum non esse, fateris ipse disp. 1. thes. 8. In tertiâ non triticum privatio est, terminus infinitus minimè. Relinquitur igitur quod illæ tres propositiones sint formaliter negativæ. Dantur igitur propositiones formaliter negativæ, in quibus negatio est pars prædicati. Ὅτι τὸ εἶδος δὲ τοῦ ζῴου. Secunda instantia hæc est,*

*Nulla pars prædicati per te dat formalitatem toti propositioni. Inde enim atque ideò hanc (piscis est non respirans) insiciaris esse formaliter*

10 APOLOGIA PRO TRACTATU  
*maliter negantem, quia negatio est pars  
prædicati.*

*Modus (necessariò) in hac propositione, (Ignis est  
necessariò ustivus) est pars prædicati. Ergò  
Modus (necessariò) non formaliter modificat il-  
lam propositionem (Ignis est necessariò Usti-  
vus.)*

Conclusio est falsa, quid enim interesset inter  
modos formales & materiales? de quibus Cla-  
rifs. Dn. Scheibl. tract. log. de prop. c. 7. n. 5. & 6.  
Falsa igitur vel major est vel minor. Non minor,  
attestâte *ἰσχυρισμῶν* conversivâ. Ergò major, quæ  
tua est. Deinde *distinguo* inter partem seu affectio-  
nem prædicati, & partem casus prædicati. Aliud  
enim verbum est, aliud casus ac determinatio  
verbi. Negatio vel afficit ipsum prædicatum vel  
prædicati casum. Hunc cum afficit sine dubio  
propositionem relinquit agentem, non item si  
illud. Sunt hæ

*Adam potest non peccare.*

*Adam potest non mori.*

Et similes aliæ, sunt inquam illæ formaliter a-  
jentes de casu prædicati infinito. Sed hæc in quâ  
negatio ipsum prædicatum immediatè afficit,  
piscis est non respirans, formaliter negata est,  
quia artefacta essentialem suam differentiam  
sumunt à formâ materiæ, non à formâ totius.  
De illis concedo totum tuum argumentū, quod  
meæ quæstionis statum non ferit: de hac poste-  
riori



DE SYLLOGISMO INFINITO. II  
steriori nego majorem ob rationem indica-  
tam.

§. 6. Perstat igitur adhuc argumentum tract.  
cit. §. 4.

*Omnis negatio Unionis est negatio copulae.*

*Omnis propositio infinita est negatio Unionis. E.*

*Omnis propositio infinita est negatio copulae.*

Ad illud respondes disp. 2. thes. 18. majorem veram  
esse de negatione formali, atque sic minorem falsam:  
de negatione materiali minorem veram majorem  
falsam. Atqui nec minor falsa est nec major:  
non minor, quia propositio infinita, in qua ipsum  
praedictum negatur, est formalis unionis nega-  
tio, qui enim dicit piscem esse non respirantem,  
is dicit piscem non esse respirantem, etsi non eo-  
dem situ grammatico, tamen eodem sensu logi-  
co qui propositionis forma est. Distinctio igitur  
inter esse non & non esse hic est impertinens.  
Non major, quia si per materiale late intelliga-  
tur omnis pars totius etiam formalis, qualis praed-  
ictum, etiam omnis negatio Unionis mate-  
rialis, quae negat (non casum praedicti, sed)  
praedictum, est negatio copulae.

§. 7. Inconcussa etiam manent responsiones  
ad instantias non à te omnes allatas, sed quae eti-  
am ab aliis afferri & excogitari possent: quarum  
prima haec fuit, negatio non negat ante se, sed  
post se, Ergò in propositione infinita copulam  
non negat 2. in eadem negatio afficit non copu-  
lam

12 APOLOGIA PRO TRACTATU  
lam principalem, sed minus principalem, E. re-  
vera negativam non conficit. *Respondi* ad 1. nec  
copulã post se omnia negare, nec ante se omnia  
affirmata relinquere: non illud quia cum dico  
piscis non est piscis respirans, non nego piscem  
piscem esse, sed nego respirare. Non hoc, quia  
de quo dico, quod sit non respirans, de eodem  
etiam dico, quod non sit respirans. Sunt enim re-  
vera synonyma non esse respirantem, & esse  
non respirantem. *Respondi* ad 2. respirans aut su-  
mi concretivè ut involvat copulam EST aut me-  
re adjectivè. Si prius Ergò copula principalis  
negatur. Si posterius Ergò ipsum copulatum  
copula est, quæ fuerit aliqua ἀκυελογία. Priorem  
responſionem quatuor machinis conaris ever-  
tere. 1. *Negando consequentiam*, negatio non o-  
mnia post se negat. E. nec omnia ante se affirma-  
te relinquit. 2. *Afferendo rationem diversitatis*,  
quod negatio non extendatur formaliter ad ve-  
rè eam antecedentia, extendatur tamen ad con-  
sequentia. 3. *Distinguendo inter predicata com-  
plexa & in complexa* negationẽ in hac complexa  
piscis non est piscis respirans negare totum con-  
junctim, etsi non secundum omnes partes divi-  
sim. 4. *Concedendo synonymiam*, inter non respi-  
rare & esse non respirantem, sed negando inde  
sequi, quod utrãque sit negatio, cum & sanum  
esse & non ægrotare synonyma sint, inde tamen  
vinci non possit, sanum esse, negare. Sed hæc re-  
spon-

DE SYLLOGISMO INFINITO. 13

sponſiones eadem facilitate, quâ à te meæ exce-  
ptiones rejiciuntur. Nam quod *primam* attinet,  
negas conſequentiam, quæ à me nulla facta eſt:  
& ſiniſtrè (ne quid gravius dicam) τὸ ita mutas  
in *ergò*, analogiſmum in ſyllogiſmum. in *ſecun-*  
*dâ* ſingis diverſitatem quæ nulla eſt, Nam quod  
ad terminos antecedentes non extendatur ne-  
gatio ipſe conſeſſi, quod verò ad copulam non  
extendatur viſ negationis id falſum eſt, cum  
enim dico, eſt non reſpirans, revera divido reſpi-  
rationem à ſubjecto, ſed revera dividere & co-  
pulam non tollere, ſe mutuò perimunt. in *tertiâ*  
mutas quid in quale; ſufficit ad meam intentio-  
nem, quod negatio non omnia poſt ſe diſtributi-  
vè neget, eſto quod copulativè. Quæritur an ul-  
lo caſu negatio non omnia poſt ſe neget? non  
quæritur, quo modo id præſtet copulativè an  
diſtributivè? in *quartâ* ſanum eſſe & non ægro-  
tare dicis eſſe ſynonyma, quod falſum eſſe hoc  
te ſophiſma docere poteſt

*Omne non ægrotans per te eſt ſanum.*

*Lapis eſt non ægrotans. E.*

*Lapis eſt ſanus.*

Præterea confundis ſenſus identitatem in gene-  
re, cum identitate ſenſus in ſpecie compoſitivi  
ac diviſivi. Fac, ſanum eſſe & non ægrotare eſſe  
ſynonyma ratione ſenſus in genere, non tamen  
ſynonyma erunt ratione ſenſus in ſpecie, quia  
hæc, homo eſt ſanus, ſenſum habet compoſiti:

B

vum-

14 APOLOGIA PRO TRACTATU  
vum: illa, homo non ægrotat, divisivum. Posteri-  
ori nostræ exceptioni ἀναγωγίαν notam inu-  
ris, quâ fronte mox patebit. Negas disp. 2. th. 17.  
de hâc meâ ( *piscis est non respirans* ) scripsisse,  
quod copula minus principalis negetur: id in-  
tellexisse de his sequentibus *Judæi sunt homines  
qui non audiunt verbum Dei: Planeta sunt stella que  
nullis micant radiis.* Ὁὐδὲν εἰς ἐπὶ ! Nam r. in  
disp. priori de syll. inf. th. 22 tradis omnes alias  
propositiones infinitas eodem modo explicari  
debere, Atque sicut dicendum est, *Judæi sunt  
homines qui non audiunt verbum Dei*: ita di-  
cendum quoque esse *piscis est piscis qui non re-  
spirat*. Hic quæro annon in hac perinde ut in  
tuâ illâ copula minus principalis negetur? dein-  
de in illâ etiam tuâ copulæ minus principali lo-  
cus nullus vacuefit: Nam hæc propositio, *Judæi  
sunt homines qui nō audiunt verbum Dei*, con-  
juncta est & revera duplex, (relativa enim, qui,  
propositionem unam esse non permittit)

*Judæi sunt homines. Et*

*Judæi non audiunt verbum Dei.*

Hic annon copula principalis negetur?

§. 7. In th. 19. denuò traditur negationem ma-  
terialem non inferre enunciatum formaliter  
negatum, exemplo hujus propositionis *homo  
est cæcus*, in quâ negatur unio visus cum homi-  
ne, tametsi illa eadem non sit negativa formali-  
ter. Sed nec ab hâc procellâ nostræ rari pericu-  
lum,

DE SYLLOGISMO INFINITO. 15

lum. Ut aliud est terminus qui negationem significat, alius qui actu negat: Ita aliud est in propositione esse terminum negativum, aliud terminum actu negantem. Negatio visus in prædicato illius propositionis significatur, sed visus actu non negatur. Argumentum nostrum est

*Omnis negatio Unionis infert negationem propositionis. Instantia tua est,*

*Atqui cum dico (homo est cæcus) est negatio Unionis, quia negatio visus cum homine. Ergo*

*Hæc (homo est cæcus) infert negationem propositionis.*

Instantia tua adeoque minor falsa est, non enim negatur visus in illâ propositione, sed negatio visus significatur.

Sic ad hanc majorem.

*Omnis sublatio Unionis in reipsâ, infert negationem in propositione. illa quoque instantia falsa est,*

*Cæcum est sublatio Unionis. Ergo*

*Cæcum esse? infert negationem.*

Majorem enim intellexi non de sublatione consequenti ac mediata, quia sic cum caliditas inferat negationem frigiditatis, hæc, Ignis est calidus, etiam negativa conficeretur: sed de sublatione Unionis illius prædicati ex quo propositio, de quâ quæritur, confecta est. Quia igitur, cum quæritur, an hæc, homo est cæcus, aiat negétve? cæcitas in reipsâ non est avulsa ab homi-

ne, sed cum eodem composita, ideò in propositione quoque affirmat. *Dices* de sublatione cecitatis in mentem tibi nihil venisse. *Resp.* tantò absurdior tua est instantia, quia locutus fueris de alià sublatione, quam de quâ mea major concepta erat; atque sic quatuor terminis illum syllogismum fœdasti.

§. 3. Novum porrò à me allatum argumentum in tract. p. 10.

*(Ex nullâ terminorum affirmatione sequitur eorundem negatio, vi contradictionis.*

*At ex infinitâ, per te, affirmante, sequitur eorundem negatio, quia ex prædictâ affirmante infinitâ infertur negans finita, quomodo verò infertur, si negatio non latuit saltem in virtute infinita? Ergò.*

*Infinita affirmans non est tantum affirmans.)*

Quatuor iterum pugionibus impugnatur, sed plumbeis. 1. Majorem loqui de affirmatione simpliciter tali, quæque non habet in se latentem negationem, de ea autem te largiri totum argumentum. 2. Minorem esse falsam, cum in illâ consecutione non relinquuntur termini iidem, sed mutantur infiniti in finitos. 3. Anno 29. conclusionem simplicem fuisse propositam nunc crescentibus annis excrevisse in exclusivam prædicati. 4. Argumentum esse sophisticum, quod terminum limitet in consequenti non limitatum in antecedenti. *Resp.* ad 1. major non Universaliter accipienda est, ex nullâ scilicet affirmatio-

matione sive simpliciter affirmet, sive negationem involvat, posse inferri negationem. Et verba illa (si negatio non latuit saltem in virtute) non sunt exclusiva, sed diminutiva; non significant majorem accipi de eâ solum affirmatione, quæ non habeat latentem affirmationem, sed docent ad minimum propositionem infinitam virtute esse negantem, quæ negatio in actum deducatur per consecutionem: Et sunt opposita non tibi, sed aliis qui ne virtualementem quidem negationem in propositione infinitâ concederent. Ad 2. fac non sint iidem termini, qui consequuntur, sunt tamen iidem qui negantur, utrobique enim  $\tau\delta$  justum negatur. Ad 3. Novum crimen Cæsaris! nunquam scilicet factum est, ut posterior editio aliquid mutaret in priori. Ad 4. Quod cryptica illa sit argumentatio, inde patet, quia nullus repugno limitationem majori propositioni addi, ex præcepto Aristotelis l. i. prior. anal. c. 39. atque sic proponi

*N. Affirmatio inferens negationem, est tantum affirmatio.*

*Omnis affirmatio infinita est inferens negationem. Ergo*

*Nulla affirmatio infinita est tantum affirmatio.*

Sophistæ est limitare conclusionem, ut majoris falsitas non appareat: ejus qui artificium occultat est non subterfugere limitationem majoris,

& omittere eam, non, ut falsitas non depræhendatur, sed quia sic placet. Quod in thesi 24. asseritur nihil à me responsum esse ad thes. 8. id non factum ideo quasi illud argumentum fuerit *ἄλλοι*, jacet enim solutum & exenteratum in hujus apologiæ §. 5. sed quia ex toto meo discursu responsio facile poterat colligi, si enim ejusmodi negatio non solum prædicati est, sed ipsius etiam copulæ, quod §. 4. tract. fuit demonstratum, quid erat opus addere alia?

§. 9. Ad argumentum in disp. prior. thes. 25. ais nihil esse responsi datum, quod sic sese habebat. *Cujus propositionis contradictoria negans, illa non potest esse negans. At hujus propositionis, omnes Judæi sunt homines, qui non audiunt verbum Dei: contradictoria negans est, nempe hæc quidam Judæi non sunt homines, qui non audiunt verbum Dei. E. hæc propositio non potest esse negans. Respondi ego 1. per ἀνθυποθεσίν, quod hujus quoque piscis est non respirans contradictoria affirmet, quæ est vel hæc piscis est respirans, vel illa, piscis non est non respirans. Utrâque ait, illa sine controversiâ, hæc quia duplex negatio affirmat. Tua contra responsio est disp. 2. th. 24. minorem esse nullam vel falsam, quia 1. hæc piscis est non respirans, piscis est respirans formaliter contradictoria esse non possunt, quia & qualitatis adest idētitas, & terminorum diversitas: quia 2. hanc, piscis non est non respirans affirmare formaliter falsum est, cum regula de*  
dua-



duabus negationibus, vera non sit, si unacadat in copulam altera sit pars termini, approbante memee ipso in idea bon. disp. p. 289. ubi hac. Quicūq; non audiunt verbum Dei, non sunt ex Deo, revera negans dicitur, cum tamen adsit duplex negatio, quia 3. major illa, Nulla negatio negationis est negatio vi contradictionis de negatione materiali falsā est, nā hac homo non est cecus est negatio negationis, nihilominus formaliter negatio. quia 4. distinctio inter sensum & formalem qualitatem admittenda est, forma enim propositionis non est sensus, sed unio prædicati cum subjecto formalis, vel dispositio secundum copulam.

§ 10. Sed minor nec nulla est nec falsa. Nam 1. responsio petit principium, non est in his piscis est non respirans, & piscis est respirans, vel qualitatis identitas, vel terminorum diversitas: non illa quia prior est formaliter negativa etsi non situatiter, ut demonstravimus controv. 4. §. 5. Non hæc, quia negatio terminos non multiplicat, alias in hac sequenti

*Omnis rosa est planta.*

*Canis est non planta. Ergo*

*Canis est non rosa.*

formale vitium esset quinque terminorum, rosa, planta, canis, non planta, non rosa, Dices negationem esse partem prædicati, at partis alicujus in prædicato omissio multiplicat terminos,

Resp. propriè negationem non esse partem præ-

B 4 dicati

20 APOLOGIA PRO TRACTATU  
dicati, sed esse partē prædicati per copulam nega-  
ti. Sicut igitur copula terminos non multiplicat  
ita nec negatio. Est enim non tam prædicati quā  
ipsius etiā copulæ negatio. Ad de quod Conim-  
brica tuæ aliàs sententiæ patrona, expressè fatea-  
tur, has duas, Socrates est non albus & Socrates  
est albus sibi opponi cōtradictoriè, in cap. 8. *æææ*  
*εεε*. q. 1. art. 2. statim ab initio. II. Responsio ite-  
rum petit principium, nam ex situ negationis de  
formâ propositionis judicandum non est, sed ex  
sensu, cum verò negatio negationis sensum in-  
ferat compositivum, divisivum neget, fieri ne-  
quit, ut quæ hoc facit, neget. Quod regula de  
duabus negationibus cadentibus in diversos  
terminos, non procedat juxta tecum fateor, &  
ideò injuriam deploro mihi ex ideâ pag. 289. fa-  
ctam: ubi scripsi hanc, *Quiunque non audiunt*  
*verbum Dei, non est ex Deo*, negativam esse, non  
obstante duplici negatione: in quâ negatio ce-  
cidit in terminos diversos, quam tu contra me si-  
nisteriùs quàm par erat, adducis. Copula autem  
& prædicatum non faciunt diversos terminos,  
(cum copula revera terminus non sit,) sed stant  
pro termino eodem. III. Instantia soluta est in  
præcedentibus ubi ostendimus, & quod infini-  
ta ejusmodi sit & formaliter negativa, & quod  
illa, homo non est cæcus, non sit negatio nega-  
tionis actu negantis, de quâ meum argumentum  
accipiendum, sed negatio negationem signi-  
ficans,

DE SYLLOGISMO INFINITO. 21  
ficans, quam negantem esse nihil impedit. Quar-  
ta denique exceptio expiravit in §. 5.

CONTROVERSIA V.

*Quomodo hæc hæctenus allata consentiant  
cum doctrinâ Aristotelis?*

§. II. Dissensum mihi à doctrinâ Aristotelis  
objicis disp. 2. th. 7. qui tamen, si penitius ejus  
verba mentemque spectes nullus est. Propria  
sedes syllogismi infiniti est *caput ult. l. 1. prior.  
analyt.* è quò nota I. Aristotelem differentiam inter  
propositiones affirmantes ac negantes ponere in sen-  
su & significatione. Διαφέρει, inquit, in fronte sta-  
tim, τὸ μὴ εἶναι τὸδε, ἢ εἶναι μὴ τὸδε. Cur? ὃ γὰρ  
ταυτὸν σημαίνει. Ergò eæ solum propositiones  
nō sunt formaliter eadem, quæ sensu differunt:  
non item aliæ quæ sensu conveniunt. II. Ari-  
stotelem, cum affirmantes infinitas opponit finitis ne-  
gantibus, potissimum respicere ad propositiones de  
casu infinito, quas formaliter affirmantes esse,  
nullus unquam negavi. Nam eodem modo se ha-  
bet, inquit, illud, potest ambulare ad alterum potest  
non ambulare: quo modo illud, est album, ad alterum  
est non album. Hoc nisi de infinito casu intelle-  
xisset, falsum dixisset. Non enim eodem modo  
se habent posse ambulare & posse non ambula-  
re: sicut non esse album, & esse non album. Illa  
enim duo, ut ipse fatetur Aristoteles, in verbis

B 5 sequen-

22 APOLOGIA PRO TRACTATU  
sequentibus. simul esse vera possunt, hæc nun-  
quam. Intellexit igitur de infinito casu, sive de  
adjectivo ( album ) adjectivè sumto Jam hæc,  
ait, non simul perpetuò reperiuntur, est non al-  
bum lignum & non est album lignum ( id quod  
longè falsissimum est, nisi sic accipias, uti semet-  
et ipsum mox exponit ) Nam si quid est lignum non  
album, illud est lignum: si quid verò non sit lignum  
album, non est necesse ut sit lignum. En, infinita-  
tem casus non prædicati, quam nos juxta cum  
Aristotele agentem esse ambabus largimur. III.  
Aristotelem nusquam asserere hanc, hoc non est al-  
bum, vel illam Judæi non audiunt verbum Dei & si-  
miles esse formaliter agentes, sed solum id asse-  
ruisse de his, hoc est non album & similibus, ita  
tamen ut album adjectivè non concretivè acci-  
pias, hoc modo hoc est lignum non album: de illis  
autem superioribus scripsisse quod sint negati-  
væ. Unde apparet neminem ab Aristotele teipso  
abesse longius, & nostram sententiam eidem ef-  
se consentaneam, qui 1. in sensus ( non situs ) di-  
versitate quæramus formalem affirmativæ à ne-  
gativâ differentiam 2. ipsi ultrò fateamur, quod  
hæ infinitæ de casu infinito, ut homo potest non  
ambulare, hoc est lignum non album &c: sint  
formaliter agentes & ijs contradicendum sit hoc  
modo, homo non potest non ambulare, Item  
hoc non est lignum non album 3. has hoc non est  
album, Judæi non audiunt &c. perpetuò negare  
contendamus: Objicis 1. regi egypt. c. 10. quocirca

erit prima affirmatio & negatio, est homo non est homo &c. Resp. I. ex l. 1. prior. anal. c. 37. exempla ab Aristotele adferri sæpe non ut ijs indubitato uteremur, sed ad scopum potius & præcepta ipsa attenderemus. 2. quo verò sensu intelligenda sint verba capitis 10. id doceri in analyticis, ad eum modum quem indicavimus.

## CONTROVERSIA VI.

*An eadem propositio extra syllogismum negata in syllogismo affirmata esse possit?*

§. 12. Negativa à me in tract. hoc argumento propugnata est, quod Nullus respectus accidentalis & extrinsecus possit mutare negationem in affirmationem à se essentialiter diversam: respectus autem majoris propositionis ad minorem sit extrinsecus & accidentalis? *Affirmativa* respondet disp. 3. th. 20. 1. hoc argumento uti non posse eos, qui negant affirmantes & negantes propositiones differre specie & essentialiter. 2. posse concedi totum, quia qualitatis mutatio ascribatur non nudo puroque respectui in se ac per se, sed quia, ostendente dispositione syllogistica particula negans non copulam, ut extra syllogismum, sed prædicatum respicit 3. Vulgare illud, Respectus non mutat rei essentiam, in realibus habere locum, fallere in notionalibus.

§. 13. Verum enim verò & hinc

Saxum

*Saxum sudando volvis, neq; proficis hilum:*

Nam *Prima* instantia me non ferit, qui essentiali affirmativæ à negativâ discrimen tam diu tuebor, donec contrarium probetur. *Secunda* exceptio facilis est solum ex ijs quæ in contro. 2. disputavimus, ubi demonstratum non posse negationem actu copulæ præfixam ei mentis conceptu postponi nisi plenis velis in agrum logicum invehere æquivocationum mare velimus. *Tertia* exceptio ab Universali axioma notionalia excipit, sed sine fundamento. Ut enim notiones sunt simjæ rerum, ita ad eas æquè ac res communia pertinent axiomata, Genus licet sit notio secunda, tamen est accidens prædicabile de naturâ substratâ, & in æternum nunquam ejus respectus mutat essentialiam naturæ substratæ, vel ede unicum solum exemplum, quod in notionalibus unquam respectus mutet rei essentialiam. perinde est ac si diceres mentis nostræ cogitationes posse rerum veritatem mutare, contra l. 8. metaph. c. ult. Quid? quod ejusmodi syllogismi sint reales, non notionales?

CONTROVERSIA VII.

*An in syllogismo vulgato, Quicunque non audiunt &c: minor sit revera & formaliter negativa?*

§. 13. Minor hæc est, *Judai non audiunt verbum Dei.* Hanc dixi formaliter negativam esse, quia

quia revera, quam diu talis est, negatio præfixa est copulæ. *Tua responsio est disp. 3. thes. 22. Prima, majorem ratione situm tantum falsam esse, ratione sensus falsam esse minorem. Secunda, resolutionem esse instituendam, & vice illius Judæi non audiunt verbum Dei, ponendam esse hanc Judæi sunt homines qui non audiunt verbum Dei.* Neutra responsio probæ est monetæ, non prima, quia suum auctorem prodit, is cum ex situ aliàs differentiam agentis à negante colligat, nunc ὕπ' ἀληθείας ἀναγκασθεὶς ad sensum confugit; Et illam esse negantem contendit, quæ sensum habet negativum, non quæ situm. Sed quia per sensum ille intelligere posset cogitationem & præcisionem mentis trajicientis negationem post copulam, idè hanc excipiendi rimam ei contro. 2. occlusimus. Sensus logicus is est manetque, qui auditâ voce illicò à mente concipitur. Cum verò dicitur, Judæus non audit, intellectus non vagatur per alia infinita de quibus τὸ non audiens dici potest, sed sistitur præcisè in negatione finitâ audientiæ de Judæo. *vices 1. etsi non vagetur actu sufficere quod possit th. 23. 2. & hanc Judæus est non audiens verbum Dei esse revera infinitam, & tamen in eadem intellectum non vagari.* Resp. ad 1. ex eo id solum sequi, quod illa ( Judæus non audit ) possit ( ut vagari, ita ) reddi infinita, per postpositionem τὸ non ; quod actu si infinita non sequi. *Quæstio autem nobis est non de potenti*

26    APOLOGIA PRO TRACTATU  
tentiâ sed actu, An hæc Judæus non audit &c:  
sit actu infinita, num actu finita & negans? ad 2.  
falsum est intellectum eâ propositione auditâ,  
non vagari; audito enim hoc termino non respi-  
rans, aut vagatur per infinita, quæ sunt non re-  
spitantia, incluso tamen generali illo termino,  
ALIQUID, aut terminus infinitus non est. Au-  
ditâ hâc propositione Judæus est non audiens,  
illicò cogitat, Ergò Judæus est aliquid sed non  
audiens verbi divini. *Secunda* exceptio expo-  
nit controversam illam propositionem malâ  
consequentia. Omnis expositio aliqua conse-  
quentia est. Atqui hæc consequentia (est non au-  
diens E. est homo non audiens) vitiosa est, con-  
cludit enim affirmativè à genere ad speciem. Er-  
gò & expositio vitiosa est. Immo terminus in-  
finitus nullum habet subjectum in quod resolvi,  
vel per quod exponi queat, nisi, vi suæ definitio-  
nis vagum, quale homo non est. Deinde quæ-  
stio non est de illâ resolutâ sed de hâc non reso-  
lutâ. Si enim affirmativa propositio dicenda est,  
quæ in affirmantem est resolubilis, tùm propo-  
sitis extra controversiam negativa affirmabit.  
Nam in illo negativo ἀσυλλογίς perinde lice-  
bit affirmare minorem hâc analysi:

*Omne id quod leo est, non est planta  
Omnis flos est id quod leo non est Ergò  
Omnis flos non est planta.*

2. Fac admitti resolutionem, tamen propositio  
erit



erit negativa saltem ex semille. Dices I, hanc responsionem esse  $\mu\eta\ \tau\alpha\gamma\alpha\ \tau\acute{\omega}\tau\omicron$ , distinguendum enim esse inter resolutionem propositionis in aqua polletem vel consequentem suam: & expositam per clariiores & expressiores terminos: hanc eandem qualitatem servare, illam quandoque variare: De hac loquitur thesin, de illâ responsionem. Hac enim Omnis flos est id, quod leo non est, est consequens illius, Nullus flos est leo. ad 2. id nihil esse, quia contrarium sit supra demonstratum & nunc de novo confirmetur ex conversione: si enim enunciatio de predicato infinito non est revera affirmans, cur particularis ajens convertitur simpliciter, universalis per accidens tantum, quod negantibus omninò repugnat? Resp. ad 1. effugium illud vanum esse. Nam si hæc aliqua consequentia est, ut fateris, Nullus flos est leo Ergò omnis flos, est id quod leo non est: hæc sanè consequentia etiam erit, non sola expositio per clariiores terminos Judæi non audiunt verbum Dei Ergò Judæi sunt ij qui non audiunt verbum Dei.  $\epsilon\delta\epsilon\ \sigma\acute{\upsilon}\nu\phi\ \sigma\acute{\upsilon}\lambda\lambda\omicron\nu\ \epsilon\pi\ \epsilon\tau\omega\varsigma\ \delta\mu\omicron\iota\omicron\nu\ \gamma\acute{\epsilon}\gamma\omicron\nu\varsigma$ . Quicquid verò ejus sit, sive consequentia, sive expositio per expressiores terminos tamen hoc relinquitur, quod omnis negativa ad eum modum sit resolubilis, quò propositio (per te) infinita, quacunque tandem id resolutionis formâ fiat. ad 2. Idem hic contingere quod in casibus obliquis. Hi enim quamdiu tales sunt omnes formas consequentiarum logicas

cas respuunt, neque ad syllogisticam neque ad  
 conversivam formam quadrant, cum formæ lo-  
 gicæ solum recipiantur in subjecto habili, hoc  
 est, in oratione enunciativâ nomine & verbo  
 logicis, constante: Non autem respuunt tum,  
 cum rectificantur casus obliqui, atque, ut mo-  
 net Aristoteles l. i. prior. anal. c. 35. ponuntur  
*κατὰ τὰς κλήσεις τῶν ὀνομάτων* in casu nominan-  
 di: Non obstante enim regula conversivâ de uni-  
 versalibus negativis, hæc consequentia ex verô  
 elicit falsum

*Nullus Rusticus est agri, id est, possessus ab agro*

Ergò

*Nullus ager est rustici*

Hæc tamen conversio rectificata probæ est mo-  
 netaræ

*Nullus Rusticus est possessus ab agro Ergò*

*Nullus possessus ab agro est rusticus*

Pariratione, cum nec termini infiniti sint no-  
 mina logica, ut ipse testaris disp. i. quamdiu ta-  
 les sunt ad formas syllogisticas aut conversivas  
 non quadrant, quadrant autem ad finitos con-  
 versi, à quibus essentialiter non discrepant Qua-  
 re tamen hæc consequentia in vitiosis sit

*Omnis homo est non canis*

Ergò

*Omnis non canis est homo*

Hæc tamen finita negans essentialiter ab infi-  
 nitâ (per te) affirmante non discrepans, rectè  
 convertitur hoc modo *Omnis*

*Omnis homo non est canis*

Ergò

*Omnis canis non est homo.*

Ut casus obliqui ad rectos, ita nomina infinita ad finita reduci debent.

§. 14. His præmissis disp. 3. th. 29. repetuntur argumenta, quorum primum denuò contenditur minorem affirmate, quia non removeat prædicatum de subiecto, cum non afficiat copulam. Resp. per prædicatum vel intelligitur solùm terminus positivus (audiens, respirans &c.) vel prædicatum cum negatione. si illud, utique negatio removet prædicatum à subiecto: si hoc, tùm si negatio aliqua removeret hanc negationem, non jam negaret sed affirmaret, vi regulæ, duæ negationes affirmant, de quâ supra. II. *Argum.* Negatio in maiore, ex quâ traducitur, non habuit vim negandi. Ergò etiam in minore non potest negare. *Excepi* in tractat. de syll. inf. *τὸ non* in maiori habuisse vim negandi, etsi actu non negaverit. th. 32. respondes 1. quæri latibulum in minutiis vocabuli, loqui te de vi exercitâ, quæ particulæ (non) in maiori constitutæ denegatur 2. non adesse subiectum habile in quod vis negationis cadat, cum, vi dicti de omni, totum medium (non audire) debeat affirmari de Judæis; non pars aliqua solùm (audire) removeri à minori termino. Resp. ad 1. *negando maiorem* de vi exercitâ seu in actu posita;

C

eda-

edatur enim ratio, cur non sufficiat vis negandi in potentiâ, & necessariò requiratur vis negandi exercita. ad 2. Dictum de omni requirere, ut totum medium de minori extremo prædicetur, sed quomodo? affirmativè an negativè? Hujus rei judicium non est dianoëticum sed axiomatium. Qualitas enim propositionis pertinet ad judicium secundæ mentis operationis, non tertiæ. Illius est judicare de propositionis qualitate quantitate &c: non hujus. Quia verò deprehendit divisionem prædicati de subjecto, negationem infert non habito respectu ad connexionem syllogisticam.

§. 15. III. *Argum.* syllogismi Aristotelici (Quicquid non scintillat &c.) conclusio negans non est Ergò nec minor negans esse potuit, cum semper debiliorem partem sequi conclusio debeat. *Respondi*, regulam illam (*conclusio debet sequi partem debiliorem*) veram esse solum in modis usitatis. *Excipis* thes. 34. hanc esse petitionem principij, cum syllogismus hujusmodi ad Cæsare vel Ferio modos scilicet usitados reduci queat. *Resp.* hanc ipsam exceptionem petere principium Cum reduci syllogismum infinitum posse scribis ad Cæsare aut ferio, vel intelligis de syllogismo illo Aristotelico, vel de hoc nostro controverso. *Si de illo* tum affirmativam propositionem ad O vel E reduxeris: *si de hoc*, tum ad A vel I propositionem negativam, utrum-

utrumque absurde. Superest adhuc quartum argumentum 35. cui ut & ad thes. 36. supra satis fuit factum. Quid alius objecerit th. 37. & 38. meâ non refert.

CONTROVERSIA VIII.

*An sequens syllogismus secunda figura concludat in modo camestres?*

*Illi qui  
Quicunque non credunt damnantur  
Pij non damnantur Ergo Pii non s̄ illi q non  
Pij non credunt. credunt.*

§. 16. In tract. §. 12. negavi hunc syllogismum esse Camestres, sed potius in Camestras, cum duplex negatio affirmet. Quod Antagonista explodit tanquam vanum disp. 3. thes. 42. & lectorem reducit ad disp. 25. sed illi quoque nodo adhibitus est cuneus §. 9. quô & ego lectorem reduco.

CONTROVERSIA IX.

*An hic syllogismus in tertiâ figurâ sit bonus formaliter?*

*Omnis electus est vocatus  
Nullus electus perit. Ergo  
Quidam qui non perit est vocatus*

§. 17. Negativa tua est, quod quatuor sub sint termini, electus, vocatus, perit, non perit. Quatuor subesse terminos inficiatus sum in

32 APOLOGIA PRO TRACTATU  
 tract p. 21. quod nusquam perit seorsim ponatur, sed  $\tau\delta$  non perit bis repetatur, semel in minore, cujus sensus est, Omnis electus *non perit*: rursus in conclusione, quidam non periens, sive quidam qui *non perit* est vocatus. Scripsi deinde minorem esse infinitam, adeoque non posse conveniri ex lege tertiae figurae, quae minorem finitè negantem non admittit. Esse autem infinitam non actu, cum revera negatio copulae praesit, sed potestate, idque colligi ex conclusione, in qua negatio afficit subjectum: quæ tum demum distribueret terminum non distributum si praedicatum afficeret. Excipis I. si negatio in minori copulam afficiat, quomodo minor erit infinita? 2. falsum est vel ad sensum, cum eadem negatione repeti in conclusione, ut in qua non negat copulam sed subjectum. 3. equipollent nullus & omnis non, si non cadat in copulam, at non si in subjectum. 4. negatio in conclusione afficit subjectum, in minore copulam, Ergò non est eadem negatio, Ergò diversi sunt termini periens, non periens. Resp. I. verò de syllogismo allato iudicium ferri posse dupliciter, & quatenus adhuc crypti est involutus & quatenus jam evolutus. Ut adhuc latet in crypti minor est revera finitè negans, Quatenus verò jam evolutus è crypti in propria sua facie conspicitur, huiusmodi est

*Omnis electus est vocatus*

*Omnis electus est non periens Ergò*

*Quidam*

*Quidam non periens est vocatus.*

Jam ostende quatuor terminos & vince. Quod verò minor potestate sit infinita, dixi colligendum esse ex conclusione, in quâ negatio immediatè afficit τὸ periens, affecerit igitur etiam in minori oportet. Quod verò in crypticis syllogismis conclusio sit principium cognoscendi, patet ex hoc formaliter bono

*Nullus corvus est Aethiops*

*Omnis corvus est niger Ergò*

*Quidam Aethiops non est niger.*

Unde hic constat quæ sit minor propositio, nisi ex conclusione? Illa enim minor est quæ minorem habet terminum: ille minor est terminus qui in conclusione est subjectum. Sicut igitur minorem propositionem invenio ex conclusione, ita etiam propositionis infinitatem ex eadem. *Resp. 2. εἰδικῶς* ad 1. in cryptici copulam negatio afficit, evolutâ cryptici, terminum. Negans est finita ante evolutionem, post hanc fit negans sed infinita. ad 2. in syllogismo adhuc cryptico, non est eadem negatio situaliter, tamen eadem sit ratione sensus: in eodem evolutio planè eadem & ejusdem est negatio. ad 3. distinctio inter omnis non (quatenus vel cadit negatio in copulam vel in subjectum) hic est impertinens, quia in hac propositione Omnis electus non perit, negatio non cadit in subjectum, ad 4. ante evolutionem quatuor esse termini

C 3

viden-

34 APOL. PRO TRACT. DE SYLL. INFIN.  
videntur, post evolutionem, tres duntaxat nu-  
merantur. Hic pausa esto. Tu, si responsurus es,  
rogo ne imbellibus telis contumeliis videlicet  
in me incurras, quod fecisti in disp. 1. de syll.  
inf. priori th. 24. disp. 2. de Enunc. inf. thes. 17.  
& 21. & 23. disp. 3. de syll. inf. thes. 52. finas pu-  
gnare rem cum re, rationem cum ratione, argu-  
mentum cum argumento. Illis adhuc ignosco,  
tanquam nimio veritatis zelo præcipitatis; re-  
dituris ijsdem, Deo volente, ut merentur, re-  
sponsabo. Vale & cogita quod dissentire  
duos de rebus ijsdem incolumi-  
ceat semper ami-  
citia.

F I N I S.







l.  
7.  
1-  
1-  
,  
-  
-

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*






1521  
1522  
1523  
1524  
1525  
1526  
1527  
1528  
1529  
1530  
1531  
1532  
1533  
1534  
1535  
1536  
1537  
1538  
1539  
1540  
1541  
1542  
1543  
1544  
1545  
1546  
1547  
1548  
1549  
1550  
1551  
1552  
1553  
1554  
1555  
1556  
1557  
1558  
1559  
1560  
1561  
1562  
1563  
1564  
1565  
1566  
1567  
1568  
1569  
1570  
1571  
1572  
1573  
1574  
1575  
1576  
1577  
1578  
1579  
1580  
1581  
1582  
1583  
1584  
1585  
1586  
1587  
1588  
1589  
1590  
1591  
1592  
1593  
1594  
1595  
1596  
1597  
1598  
1599  
1600







Ung IV A 121

ULB Halle

3

003 003 701



SB


VD 77

2001 SB









3  
*A P O L O G I A*  
P R O  
**T R A C T A T U**  
**D E S Y L L O G I S M O**  
**I N F I N I T O .**

*Auctore*  
**M. JOH. CONRADO DANN-**  
**HAVVERO, P.L. & Prof. Publ.**



*ARGENTORATI,*  
Typis WILHELMII CHRISTIANI GLASERI,  
Academiae Typographi  
*M. DC. XXXII.*

